



How to cite this document:

Como citar este documento:

Mota, B., Pinheiro, C. S. & Silva, G. (2020). O texto latino do prefácio do *Tratado breve sobre a natureza e as causas da peste de Hamburgo de 1596*. Retrieved from <https://projectgynecia.uma.pt/output/>.

Forthcoming:

A publicar em:

Rodrigo de Castro Lusitano, *Tratado breve sobre a natureza e as causas da peste de Hamburgo de 1596*, (edição, introdução, tradução e notas de B. Mota, C. Pinheiro & G. Silva, prefácio de Jon Arrizabalaga).

Tractatus brevis
De Natura, et Causis Pestis, Quae Hoc
Anno M.D.XCVI. Hamburgensem
Ciuitatem affligit.

In quo succincte, sed accurate demonstratur, quatenam
in praesenti lue praecauendi et curandi
ratio sit obseruanda.

Vt tum uniuersa urbs tum etiam unusquisque sese possit
ab exorienti malo praeseruare, ac subinde
occupantem iam perniciem facilius
propulsare.

Multa etiam in hac re hactenus subobscura
obiter declarantur

Per

Rodericum a Castro, Philosophiae et Medicinae
Doctorem.

Ad Amplissimum Splendidissimumque eiusdem
urbis Senatam.

Hamburgi.

Excudebat Iacobus Lucius Iunior.

Anno M.D.XCVI.



Amplissimo Splendidissimoque Ordini Senatorio, Praestantissimae Reipublicae Hamburgensis,
Dominis suis colendissimis.

Rodericus a Castro, Philosophiae et Medicinae Doctor
Salutem Plurimam Dicit.

Sapiens, inquit Philosophus, est, qui interrogatus de illis, quorum scientiam tenet, uerum dicit. Ego autem splendidissimi uiri, dominique obseruandissimi, etsi uera et utilia proferam, minus fortasse sapiens uidebor, siquidem non interrogatus loquor. Verum enim uero satis interrogatur, qui ex officio loqui tenetur; impellente praesertim in Rempublicam amore, et obseruantia maxima in magistratum, cui gratum acceptumque fore nostrum hoc studium non dubitamus, utpote, cui nihil prius unquam extiterit, quam ciuium suorum incolumitatem, et florentissimae Reipublicae augmentum, dignitatemque conseruare.

Probe cognoscentes illud Platonis 2. *De legibus*, tria esse hominibus potissimum expetenda, sanitatem, egregiam formam, et diuitias fraude non [A2] acquisitas, ex quibus bonam ualetudinem Plutarchus maxime diuinum bonum esse censet, longeque blandissimum totius uitae condimentum; probe, inquam, hoc cognoscentes. Nam quo zelo, fortitudine animi, et in gubernando integritate, Rempublicam semper administraueritis, testes sunt uastissimi uestri adeoque dilatati termini, testis ex remotissimis prouinciis in hanc urbem, quasi in totius Germaniae pergulam, hominum frequentia, atque confluxus: cuius etiam laudibus adductus ego tanta iam diu exarsi uiuendi apud uos ac uobis inseruiendi cupiditate, ut nullam aliam urbem praeter istam incolendam mihi proponerem. Vt enim de mercatoribus taceam, qui omnes norunt, quanta immunitate ac rerum suarum securitate apud uos uersentur; quid de iis qui rerum contemplationi, et studiis uitam consecrarunt, dicam? Qui in hanc Rempublicam quasi in uniuersi orbis sanctissimum hospitium sese recipiunt, ubi pacate, et quiete studia tractant: dumque adeo aliis turbatur agris, ipsi apud uos formosam resonare docent Amarillida siluas, hoc est, animo tranquillo, de sapientia disputant, philosophantur et conferunt cum eruditissimis, ac sapientissimis uiris, quorum Hamburgensis Respublica uberrimum alit numerum; immo quorum in uestro hoc praestantissimo senatorio ordine plurimi etiam reperiuntur non solum prudentia, et multarum rerum cognitione, sed etiam omnigena eruditione insigniter praediti.



Macti igitur tanta prudentia, tantaque uirtute uiri! Pergite, quod facitis, facere, et triplici hoc nodo, qui dicente illo non facile soluitur, fortunae bonis, iustitia, et literis florentissimam, felicissimamque Rempubicam munitote.

Verum haec cum absque salutis integritate minus eluceant, eamque periclitari uideam; ac plures in hac urbe grassante ista contagiosa clade interire animaduertam, malumque Indies magis, magisque grassari; nec satis adhuc hominibus compertum esse, pestisne illa sit an alia lues: mearum partium, id est, mei erga Rempubicam amoris, et obseruantiae esse existimaui: ac ita demum de uobis, et de uniuersa Republica Hamburgensi bene me meritum duxi; si hoc negotium pensius examinarem, et quid in eo praestandum sit, iuxta illud, quod in aliis regionibus animaduerti, ac saepius crebra experientia comprobaui, literis mandarem, uiamque sternerem, qua mores, qui alibi in similibus calamitatibus obseruantur, quantum consuetudo Germanica pateretur, huic etiam Reipublicae aptari accomodarique possent.

Sunt quidem in hac urbe uiri sapientissimi, et in arte medica apprime uersati, [A3] qui eruditissimis, et salutaribus suis consiliis, possunt Rempubicam adiuuare: ideoque minus necessaria nostra haec opera uidebitur. Caeterum non tam quod indigeatis, quam quod cupio meam erga uos, et erga magistratum uoluntatem, et obseruantiam cognitam, testatamque esse, aliquid etiam hac de re uobis offerendum esse existimaui. Id uos uiri clarissimi atque splendidissimi aequi bonique consulatis exopto. Nam Deo Optimo Maximo gratum fore haud dubito; quippe cui nihil gratius sit, quam ut uniuersam uitam, ad commune commodum conferamus. Idcirco enim ratione, et oratione nos Deus decorauit, mentem et ingenium concessit, manus, pedes, et uires corporis, inquit Chrysostomus, ut his omnibus, nosmetipsos, et proximos tutaremur. Id autem eo diligentius faciendum putauit, quia, ut dici solet, nequicquam monet, quo sero monet. Quaecumque dixero, utinam in gloriam Dei, et Reipublicae utilitatem dicta sint, eaque ab hoc zelo orta, et in hunc finem ordinata, acceptum iri spero atque confido. Deus Optimus Maximus uestram dignitatem incolumem diu seruet, et pestilentem luem, ab hac Republica clementissime auertat. Datum Hamburgi. Anno 1596. Nouembris. 6.

Vestrae Amplitudini atque Praestantiae

Deditissimus

Rodericus a Castro Dedit